



ILLVSTRI ET GENEROSO
DOMINO D. PHILIPPO COMITI

in Eberstein, Domino in Fravvenburg & For-
bach, &c. Domino suo clemen-
tissimo:

DAVID PAREVS

Gratiam & Pacem à Domino.



N, Comes inclyte & generose, lucubrationes meas in
Genesin, tuis auspiciis luce donatas. De cuius libri di-
gnitate si nunc verba facerem, vniuersa ea, quæ de illius
primæua antiquitate, diuina authoritate, sublimi Theo-
logia, recondita doctrina, profundis mysteriis, admirā-
da historia, prophetica chronologia, vberrima vtilitate
ac fructu intus præfanda mihi fuerunt, repeterem, ac
multo etiam plura explicanda sumerem, quod me facere breuitas prohi-
bet. Est enim Moses, Theodoreto teste, ὁ τῆς θεολογίας ὠκεανὸς, ἐξ ἧς περ πάντες ποτα-
μοὶ ἢ, πᾶσα θάλαττα, &c. Oceanus, inquam, non ille μυστικὸς, Cæli Tellurisque
filius, de quo Apollodorus fabulatur: sed ingens illud aquarū circa terram
receptaculum, quod Moses מים vocat, Græci Oceanum, Latini mare ap-
pellant, similitudine quadam. Vt enim ex mari flumina ortum capiunt, in
idemq; reuoluuntur omnia: ita omnis Theologica περὶ γενεαίᾳ ex Genesi
Mosis nascitur, in eandemq; tanquam in primum cognitionis rerum prin-
cipium normamq; resoluitur. Ac velut Oceanus abyssus est inexhausta,
semper plus aquarum regurgitans, quando plus effluxit euaporauitq;: ita
Genesis Mosis cum enucleatissime videtur explicata, semper in se conti-
net plura recōditæ sapientiæ illibata mysteria. Hinc vix est alius liber, quē
plures pluribus illustrare Commentariis laborarint tam veteres quam re-
centes interpretes: Dignus profecto, qui aureis characterib. aureis mem-
branis, aureis calamis, aureis digitis exaretur, aureis linguis edisseratur: di-
cam verbo, qui aureis cordibus inscribatur, reponatur, condatur. Vt mi-
rum videri possit, quomodo patres Hebraei, Hieronymo referente, à tanto
thesauro arcendos censuerint, quotquot tricesimum ætatis annum non

Theod. ferm.
2. de prim.

Apoll. Biblio-
lib. 1.

Hier. proæt
in Ezech.